Prob. prima pars, quia cum ſponſa decipiens, habilis fuerit ad contrahendum, conſenſus ex parte ſua validus fuit, & is dum non revocatur, virtute durat, & ſolum deſiderabitur conſenſus alterius, qui ratione doli inefficax erat; ſed hic modo accedit, & manifeſtatur ſigno externo, nempe copula, quæ conſenſus matrimonialis ſufficiens indicium reputabatur, *c. Iscui fidem, de ſponſ.* nedum ipſorum ſponſalium, ſicut fide ducens feminam, ſi copulam animo maritali habeat, vel aliter conſentiat, priori femina manenti in priſtino conſenſu, reddit validum illud matr. quod irritum erat, ut dicam l. 2. diſp. 32. n. 9. Prob. 2. pars, nempe idem eſſe, ſi copulam habeat ſciens per illam ratificari priora ſponſalia: quia ſponſalia infantum, quæ nulla ſunt, convaleſcunt per ſimultaneam habitationem, aut copulam ſcientia ratificationis hujus poſtea habitam: ut dixi ſupra diſp. 16. nu.6. Prob. ultima pars, nempe ſi ignoravit priora ſponſalia eſſe nulla, vel per eum actum ratificari, vel habuit diſſenſum, non manere valida, quia ad ratificationem exigitur nullitatis actus ſcientia, & ejus ratificationis per ſequentem actum: ut probavi ead. diſp. 16. nu. 7. ſi autem habuit diſſenſum, conſtat nullo modo ratificari: quia cum prior conſenſus fuerit nullus, eſt neceſſarius novus, qui hic deſideratur. Idem dicendum eſt, ſi quis virgini exiſtimatæ ſub expreſſa conditione promitteret matrimonium, Si es virgo; ſi enim virgo non ſit, cum promiſſio defectu conditionis ſit nulla, judicandum eſt, ſi poſtea eam cognoſcat, ac de ſponſalibus nullis, quamvis copula habeatur defectu virginitatis jam cognito.

5 Ad arg. fateor per copulam hodie non recedi a conditione, ſed noſtra concl. non innititur huic fundamento, ſed remiſſioni injuriæ per copulam.

DISPUTATIO LXVII.

Utrum in omnibus eventibus, in quibus licitum eſt diſſolvere ſponſalia, ob cauſam præcedentem ignoratam, vel ſupervenientem, ſi juramento ſtabilita ſint, neceſſarium ſit juramenti relaxationem petere?

SUMMARIUM.

Prima opinio, eſſe neceſſarium, num. 1.
Secunda verior negans, 2.
Sponſalia non ſunt conditionalia, ob tacitam concluſionem in eis incluſam, 3.

1 QUidam affirmant: & probari poteſt; quia eſt juramentum rei licitæ; quod neceſſario ſervandum eſt, niſi relaxetur, *c. Si vero, de jurej.* Sic *Sotus. 4. d. 17. q. 2. a. 3. ad 1. Vigner. l. inſt. c. 16. §. 7. verſ. Septimo fine:* & videtur tenere *Lud. Lop. 2. p. inſtruct. c. 36. de matr. fol.* 1036. dicit enim, promittentem ei, quam virginem eſſe putabat, non teneri impleare, licet jurarit: quia poteſt petere juramenti relaxationem.

2 Sed prorſus tenendum eſt nulla opus eſſe relaxatione. Quia ſi juramentum conditionem contineret, ea non impleta nulla deſiderata relaxatione, non aſtringeret: ſed in cauſibus omnibus dictis ineſt tacita conditio juramento, ergo. Prob. minor, quia juramentum accedens contractui ſortitur naturam, & conditionem ipſius, *l. fin. C. de non n. pecun.* ſponſalia autem habent tacitam conditionem, ſi res in eodem ſtatu permanſerint, id eſt, ſi cauſa non ſuperveniat, aut præcedens non cognoſcatur, legitima ad ea diſſolvenda. 2. Prob. eadem minor. ex *c. Quemadmodum, de juræjur.* ubi textus decidit eas eſſe abſque perjurio a ſponſalibus juratis reſilire, ob fornicationem ſubſequentem: & reddit rationem, quia ſubintelligitur conditio, ſi alter contra matrimonium non venerit: ubi *gl. verb. Oculos, Hoſtienſ. ibi ſuper verb. Juramentum, Joan. Andr. n. 13. Anchar. n. 3. Ant. n. 13. Baldan. in prin. Abb. n. 9. Imol. n. 3.* dicunt, licet juramentum in hoc caſu poſſit abſque peccato obſervari, minime tamen obligare: eo quod deficiat tacita conditio, quæ ineſt, ſi res in eodem ſtatu permanſerit, *c. Ne quis, 22. q. 2. & l. Cum quis, ff. de ſolut.*

3 Ne tamen hinc inferas, ſponſalia omnia eſſe conditionalia, cum tacitam includant conditionem: id enim abſurdiſſimum eſſet, ſequeretur enim ex iis ex cauſa juſta diſſolutis, non oriri impedimentum publicæ honeſtatis, ut contingit in ſponſalibus vere conditionalibus, quando conditione deficiente dirimuntur, juxta *c. unic. de ſponſ. in 6.* Sed dicendum eſt, ea ſponſalia non eſſe conditionalia, quia conditio tacite ſubintellecta non reddit actum conditionalem, *l. Conditiones, quæ extrinſecus, ff. de condit. & demonſt. & c. Significaſti cum ibi notatis, de electi.* & diffuſe per DD. *l. 3. ff. de legat. 1.* & ita notant omnes DD. juris Pontificii, n. præc. allegati.

Ad arg. contrarium conſtat ex dictis num. 2. juramentum enim rei licitæ obligat, donec relaxetur, niſi deficiat conditio expreſſa, vel tacite ſubintellecta.

DISPUTATIO LXVIII.

Utrum dum alter ſponſus vitio aliquo laborat, cujus ſi alter conſcius eſſet, haberet juſtam diſſolvendi ſponſalia cauſam, ut ſi poſt ſponſalia fornicatus eſt, vel patitur morbum gallicum, poſſit compellere petendo coram judice, ut alter ſponſus ea impleat, a quibus injuſte ob illius cauſæ ignorantiam refilit?

SUMMARIUM.

Quot ſint difficultates diſputandæ, num. 1.
Quid diſſet inter petere, & exigere: & conjux adulter poteſt petere debitum, 2.
An poſſit exigere, dum alterum latet ejus adulterium, 1. opinio, non poſſe, 3.
2. Sententia verior, poſſe, n. 4. & quid, ſi alter ſuſpicetur adulterium, 5.
Solvuntur argumenta, 6.
An ſponſus poſſit alterum ſponſum ignarum ſuæ fornicationis, vel alterius cauſæ, ob quam juſte poterat reſilire, cogere ad ſtandum ſponſalibus. 1. opinio non poſſe, 7.
Secunda verior, poſſe quando ſponſalia fuerint valida; ſecus, ſi nulla, 8.
An ſimili cauſa laborans, ut ſponſa fornicans, vel morbum patiens gallicum, poſſit ob ſimilem cauſam alterius patientis idem vitium, diſſolvere ſponſalia, 9.
An quando alter injuſte ſecundum ſuam conſcientiam reſilit, quia ignorat cauſam in altero exiſtentem; amittat in foro conſcientiæ arrhas, n. 10. ſolvuntur argumenta, 11.

DIſputationem hanc quæ frequentiſſima, & valde neceſſaria eſt apud neminem inveni: & ideo ejus deciſio ex alterius deciſione petenda eſt: quare duplex eſt tractanda quæſtio. Prior eſt, utrum adulter occultus ita jus exigendi debitum amittat, ut non poſſit in conſcientia exigere ab innocenti ignorante illius adulterium. Poſterior eſt diſputatio hic propoſita, quæ ex prioris ſolutione pendet. 1

Circa I. quæſt. ſuppponendum eſt, hoc diſtare inter exigere, & petere: quod illud importat coactionem, & eſt petere ut debitum: hoc autem, minime: petimus enim etiam gratis concedenda. Convenit ergo inter omnes adulterum poſſe petere: non enim abſolute matrimonii uſu privatus eſt, ſicut ſi inceſtum committeret, vel caſtitatem voveret. Tota autem difficultas eſt, an per adulterium latitans alterum conjugem, ſit eo ipſo privatus jure exigendi debitum, ita ut ſi alter neget, licet peccet letharliter negando, ob erroneam conſcientiam, cum eum lateat adulterium, quod jus negandi concedit: non poſſit ipſum compellere, ut reddat debitum. 2

Duplex eſt ſent. I. ait eo ipſo eſſe privatum jure exigendi, & tantum poſſe humiliter petere. 1. Prob. quia ſtatim ac conjux adulterum admittit, innocens re vera, & coram Deo eſt abſolutus a debito reddendo, ergo adulter non poteſt petere tanquam debitum, cum revera debitum non ſit. Prob. antecedens, quia ſi noſſet alterius adulterium, maneret abſolutus ſecundum omnes, notitia autem facti non abſolvit re ipſa, ſed factum ipſum, ergo ante notitiam erat re ipſa abſolutus, & ſolum tenebatur ex conſcientia erronea. 2. Quia reddere ex obligatione, & exigere ſunt correlativa, ſed uxor talis adulteri non tenetur re vera reddere, ſed tantum ex conſcientia erronea, ergo vir adulter non poteſt exigere. 3. Creditore ratione ignorantiæ non petente debitum, minime eximitur debitor ab obligatione ſolvendi; ſed eo ipſo, quod conjux adulteratur, eſt debitor alteri immunitatis, & exemptionis ab obligatione reddendi: ergo licet innocens ex ignorantia minime petat hoc libertatis debitum, non manet adulter liber, nec poteſt ei libertati contravenire, exigendo. Et confi. quia in cauſibus, in quibus lege cautum eſt, ſervos libertate donari, licet hi ex ignorantia non petant libertatem, nequit dominus iis ac ſervis uti, cum vere liberi ſint: jure autem divino per adulterium unius innocens liber efficitur a reddendi obligatione: ergo. 4. Quia conjux occulte adulter non poteſt petere divortium, nec debitum negare ob adulterium alterius conjugis ſibi notum, licet alter ſuum ignoret, & ita non poſſit mutuam delictorum compenſationem allegare: ergo ſimiliter quando ipſe ſolus eſt adulter, non poteſt alterum cogere ad reddendum, licet alter ob ignorantiam non opponat adulterium. Hanc ſent. quæ valde probabilis eſt, ſuſtinet *Tabiena Matr. 4. q 6. n. 7. Arm. verb. Matrimon. nu. 77. Catharin. l. 5. contra Cajet. tr. de ſacram. matr. Navar. ſumma Hiſp. c. 28. addit. ad n. 21. c. 22. verſ. Lo ſettimo: lat. c. 22. n. 23. Caſtro l. 2. de lege pœn. c. 4. ad fin. Cov. 4. decr. 2. p. c. 27. §. 2. n. 4. fine*, male tamen refert pro ſe Cajet. *Enriquez l. 11. de matr. c. 8. n. 2. fin. in comment. litt. A. Petr. de Lop. de matr. q. 62. a. 1. dub. 1.* & dicit eſſe hoc certum: eandem ſententiam videntur tenere alii abſolute docentes, adulterum privari jure exigendi debitum, hi ſunt *Roſella verb. Debitum, n. 17.* ubi *Piſana, n. 14. & Armil. n. 4. Angel. verb. Adulterium, n. 3. fine*, ubi *Sylv. qu. 6. nu. 8. fine, D. Ant. 3. p. t. 1. cap. 20. §. 9. Manuel. 1. tom. ſumm. in 2. edit. c. 243. num. 14.*

II. Sent. probabilior tenet, conjugem adulterum, dum alterum adulterium latet, non perdere jus exigendi debitum, ſed poſſe ab eo exigere. Prob. adulterum non poſſe exigere, eſt in penam ſui delicti, dignus eſt enim, cum fidem matrimonii fregerit, ut ei fides minime ſervetur: ſed reus non tenetur prodere ſuum delictum, ut a judice, vel ab uxore pareatur in illius penam, jure exigendi: ergo quandiu delictum non conſtat uxori, ut adulterum per exceptionem elidat, non privatur jure exigendi debitum, nec ipſe adulter tenetur ſuæ penæ eſſe executor. 2. Quia hæc eſt veluti pœna conventionalis, jure divino, & naturali inducta, ut frangenti fidem fides non ſervetur: ſed pœna conventionalis non debetur ante ſent. judicis, vel ſaltem antequam pars 4

pars ipſa petat, ut probavi diſp. 37. nu. 2. & 4. ergo 3. Quia matr. eſt quædam ſocietas, & contractus, & fœdus, in aliis autem contractibus, & fœderibus, reus non eſt privatus, ſed privandus: ut filius, qui occultum crimen in patrem admiſit, exhæredatione dignum, & ſocius in ſocium. 4. Quia cum conjux ipſo jure privatur debiti petitione, videmus non eſſe in alterius poteſtate hanc pœnam ei remittere, ut ſi in teſtum ſum ſorore conjugis admittat, vel communem filium e ſacro fonte levet: ergo cum conjux innocens poſſit inferre, vel remittere adultero pœnam non exigendi debitum, ſignum eſt, non ipſo jure illum ſubire hanc pœnam, ſed cum ei a conjuge innocenti infertur. Hanc tenent *Archid. c. in conjugio, 32. q. 1.* ubi *Turr. in fine*, referens *Bern. Hiſpanum, Caſ. opuſ. 17. reſponſ. reſpoſione, 4. quod habetur 11. t. opuſc. tr. 31. Sotus 4. d. 36. qu. un. a. 4. verſ. Utrum vero uxor. Petr. de Soto lect. 16. de matr. §. pen.* & quidam doctiſſimus Theologus, ut teſtatur *Caſtro* pro priori ſent. relatus: *idem Lud. 2. p. 4. q. 64. a. 2. f. 519 col. 1. 2. & 3. Palac 4. d. 35. d. 1. f. 786. col. 1. Matien. l. 5. recop. t. 1. rub. gl. 2. n. 101. Enriq. l. 11. de matr. c. 15. n. 6.*

5 Imo idem credo, licet conjux innocens ſuſpicaretur alterum adulteratum eſſe, levibus tamen indiciis, quæ non ſunt ſufficientia ad ipſum in foro conſcientiæ excuſandum: quia alter non tenetur tunc fateri ſuum crimen, nec innocens jus habet ſpoliandi reum jure petendi, & exigendi, donec ejus delictum ſufficienter norit: quare illa exceptio adulterii, quam opponit, non eſt legitima etiam in foro conſcientiæ.

6 Ad arg. prioris ſent. reſpondetur. Ad I. non eo ipſo innocentem eſſe abſolutum ob obligatione reddendi, ſed tantum habere jus, quo ſe ipſe poſſit abſolvere in foro conſcientiæ, ſi ſibi factum conſtare inter exigere, & petere: quod illud importat coactionem, & eſt petere ut debitum: hoc autem, minime: petimus enim etiam gratis concedenda. Convenit ergo inter omnes adulterum poſſe petere: non enim abſolute matrimonii uſu privatus eſt, ſicut ſi inceſtum committeret, vel caſtitatem voveret. Tota autem difficultas eſt, an per adulterium latitans alterum conjugem, ſit eo ipſo privatus jure exigendi debitum, ita ut ſi alter neget, licet peccet letharliter negando, ob erroneam conſcientiam, cum eum lateat adulterium, quod jus negandi concedit: non poſſit ipſum compellere, ut reddat debitum. 2

Duplex eſt ſent. I. ait eo ipſo eſſe privatum jure exigendi, & tantum poſſe humiliter petere. 1. Prob. quia ſtatim ac conjux adulterum admittit, innocens re vera, & coram Deo eſt abſolutus a debito reddendo, ergo adulter non poteſt petere tanquam debitum, cum revera debitum non ſit. Prob. antecedens, quia ſi noſſet alterius adulterium, maneret abſolutus ſecundum omnes, notitia autem facti non abſolvit re ipſa, ſed factum ipſum, ergo ante notitiam erat re ipſa abſolutus, & ſolum tenebatur ex conſcientia erronea. 2. Quia reddere ex obligatione, & exigere ſunt correlativa, ſed uxor talis adulteri non tenetur re vera reddere, ſed tantum ex conſcientia erronea, ergo vir adulter non poteſt exigere. 3. Creditore ratione ignorantiæ non petente debitum, minime eximitur debitor ab obligatione ſolvendi; ſed eo ipſo, quod conjux adulteratur, eſt debitor alteri immunitatis, & exemptionis ab obligatione reddendi: ergo licet innocens ex ignorantia minime petat hoc libertatis debitum, non manet adulter liber, nec poteſt ei libertati contravenire, exigendo. Et confi. quia in cauſibus, in quibus lege cautum eſt, ſervos libertate donari, licet hi ex ignorantia non petant libertatem, nequit dominus iis ac ſervis uti, cum vere liberi ſint: jure autem divino per adulterium unius innocens liber efficitur a reddendi obligatione: ergo. 4. Quia conjux occulte adulter non poteſt petere divortium, nec debitum negare ob adulterium alterius conjugis ſibi notum, licet alter ſuum ignoret, & ita non poſſit mutuam delictorum compenſationem allegare: ergo ſimiliter quando ipſe ſolus eſt adulter, non poteſt alterum cogere ad reddendum, licet alter ob ignorantiam non opponat adulterium. Hanc ſent. quæ valde probabilis eſt, ſuſtinet *Tabiena Matr. 4. q 6. n. 7. Arm. verb. Matrimon. nu. 77. Catharin. l. 5. contra Cajet. tr. de ſacram. matr. Navar. ſumma Hiſp. c. 28. addit. ad n. 21. c. 22. verſ. Lo ſettimo: lat. c. 22. n. 23. Caſtro l. 2. de lege pœn. c. 4. ad fin. Cov. 4. decr. 2. p. c. 27. §. 2. n. 4. fine*, male tamen refert pro ſe Cajet. *Enriquez l. 11. de matr. c. 8. n. 2. fin. in comment. litt. A. Petr. de Lop. de matr. q. 62. a. 1. dub. 1.* & dicit eſſe hoc certum: eandem ſententiam videntur tenere alii abſolute docentes, adulterum privari jure exigendi debitum, hi ſunt *Roſella verb. Debitum, n. 17.* ubi *Piſana, n. 14. & Armil. n. 4. Angel. verb. Adulterium, n. 3. fine*, ubi *Sylv. qu. 6. nu. 8. fine, D. Ant. 3. p. t. 1. cap. 20. §. 9. Manuel. 1. tom. ſumm. in 2. edit. c. 243. num. 14.*

II. Sent. probabilior tenet, conjugem adulterum, dum alterum adulterium latet, non perdere jus exigendi debitum, ſed poſſe ab eo exigere. Prob. adulterum non poſſe exigere, eſt in penam ſui delicti, dignus eſt enim, cum fidem matrimonii fregerit, ut ei fides minime ſervetur: ſed reus non tenetur prodere ſuum delictum, ut a judice, vel ab uxore pareatur in illius penam, jure exigendi: ergo quandiu delictum non conſtat uxori, ut adulterum per exceptionem elidat, non privatur jure exigendi debitum, nec ipſe adulter tenetur ſuæ penæ eſſe executor. 2. Quia hæc eſt veluti pœna conventionalis, jure divino, & naturali inducta, ut frangenti fidem fides non ſervetur: ſed pœna conventionalis non debetur ante ſent. judicis, vel ſaltem antequam

Demum ex dictis infertur, eum, qui fornicatus eſt, vel 10
aliud vitium patitur, ob quod alter ſi ſciret, poſſet a ponſalibus valide contractis reſilire, ſi dum eſt ignarus, reſiliat, lucrari arrhas: & tuta conſcientia eas retinere, quia hæc eſt earum natura, ut injuſte reſiliens eas perdat, ut dixi ſupra diſp. 36. n. 2. Sed hic ignarus cauſæ injuſte reſilit, cum vere, & non ex conſcientia erronea teneatur implere, dum cauſam illam ignorat, & poſſit per alterum cogi: ergo hic reſiliens perdit arrhas, & alter lucratur.

Ad duplex arg. propoſitum n. 7. reſp. ad 1. fateor tunc non 11
eſſe proprie pœnam, ſed aliquo modo, quam non tenetur alter ſibi infligere: eſt enim quaſi pœna conventionalis, nam tacite conveniunt partes, quando ſpondent ſibi matr. ut advenienti cauſa notabilem mutationem facienti, non ut ipſo jure diſſolvantur ſponſalia, ſed ut alter jus acquirat, ſi velit, & ſciat, diſſolvendi. Ad 2. dico id procedere in ſponſalibus, vere conditionalibus: quia cum conditio ſuſpendat, nulla oritur obligatio ante conditionis eventum: quare cum ea non evenerit, promittens nullo vinculo aſtrictus erat, & ita cogi nequit: at conditiones, quæ tacite intelliguntur, non faciunt ſponſalia conditionalia, ut dixi diſp. præc. n. 3. & ſubinde non ſuſpendunt conſenſum, ſed ſtatim oritur obligatio, licet diſſolubilis, ſi alter cauſam nolit, velitque ea uti.

DISPUTATIO LXIX.

Utrum neceſſaria ſit judicis authoritas diſſolventi ſponſalia, dum occurrunt cauſæ diſſolvendi in præcedentibus diſputationibus expoſitæ?

SUMMARIUM.

Prima opinio, ſemper requiri authoritatem judicis, quoties valent ſponſalia, num. 1.
2. In aliquibus caſibus non requiri, 2.
De ſe, ſecluſo ſcandalo, non requiritur, 3.
Quid ſi cauſa diſſolvendi eſt publica, & certa, & ſponſalia ſimiliter publica, & oriatur ſcandalum ex diſſolutione, 4.
Quid ſi certa, & occulta, & ſponſalia ſimiliter occulta, 5.
Quid ſi ſponſalia ſint publica, & cauſa certa, & occulta, & quale peccatum ſit tunc propria authoritate, 6.
Quid ſi cauſa ita occulta ſit, ut nullo modo probari poſſit, & ſponſalia publica.
Quid ſi cauſa diſſolvendi eſt dubia, 8.
An ſufficiat certitudo cauſæ opinativa, & qualis certitudo facti in utroque foro ſufficiat, 9.
Quis ſit judex hujus diſpoſitionis, 10.
Solvuntur argumenta, & explicantur c. Duo pueri, & c. De illis, el 1. de deſponſ. impub. & c. Seculares, 33. q. 2. n. 11.

ALiqui cenſent, ſponſalia valida, nunquam poſſe propria 1
authoritate diſſolvi, probant ex *c. Duo pueri, in fin. de deſpon. impub.* ubi pœnitentia imponitur cuidam, eo quod judicio Eccleſiæ irrequiſito ſponſam dimiſerit, & *c. De illis el 1. eo tit.* ubi de impuberibus dicitur, ſi ad puberatem venientes reclamant, judicio Eccleſiæ ſeparandos eſſe. Et *c. Seculares, 33. q. 2.* puniuntur, qui abſque authoritate Eccleſiæ ſeparantur: Ita tenent *Inn. d. c. De illis, n. unico.*

Alii autem duplicem caſum tantum excipiunt, in quo li- 2
ceat propria authoritate diſſolvere, nempe in caſu impreſſus religionis, vel matrimonii alterius contracti, & ratio eſt, quia in his duobus caſibus jus ipſum eſt notiſſimum, & cauſa eſt notoria: cum matr. in facie Eccleſiæ celebrari debeat, & profeſſio cum ſolemnitate. Sic docent ex Theologis *D. Th. 4. d. 27. q. 2. a. 3. corpore*, & ibi *Duran. q. 3. a. 2. Rich. a. 3. q. 4. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 18. §. 1. fin. Vig. l. inſt. c. 16. §. 7. verſ. 7. fine*. Et ex jurisperitis, *gl. c. De illis, el 1. de deſponſ. imp. verb. Judicio*, & *ibi Ant. n. 4. Goff. ſum. tit. de deſponſ. imp. n. 9. Hoſt. ſum. t. de ſponſ. §. Et qualiter, n. 18. verſ. & nota, quod in 5. caſ. Jo: And. c. De illis, de ſponſ. fine*, ubi *Henr. n. 5. Præp. fine, Roſ. Matr. 2. n. 6.* & *verb. Sponſalia, n. 9.* ubi *Arm. n. 13. l. 8. t. 1. p. 4.* & *ibi Mont. init. Cov. 4. decr. 1. p. c. 5. init. n. 12. Ant. Cucus l. 5. inſt. maj. t. 10. n. 59. fin. Lancel. inſt. juris can. l. 2. t. de ſponſ. verb. Judicio Eccleſiæ* Addunt *D. Ant. Roſell. verb. Sponſ. n. 9.* huic duplici caſui alium, nempe quando fornicatio eſt notoria, & *Henr. & Præp.* addunt alium ſcilicet quando impedimentum aliquod conſanguinitatis, vel affinitatis detegitur: & *Præpoſitus* addit, vel niſi quando alter initiatur ordine ſacro.

Sit tamen I. Concl. ex natura rei ubi eſt certitudo cauſæ, 3
& facti, nulla deſideratur authoritas judicis, ſed ſi aliquando ea deſideretur, eſt ratione ſcandali vitandi. Prob. quia ſponſalia tacitam conditionem habent, niſi aliquis caſus ex dictis accidat, quare occurrente aliquo ex iis, licitum eſt ex natura rei propria authoritate diſſolvere: ſicut deficiente conditione. Sic colligitur ex omnibus DD. n. 4. 5. & 6. allegandis, ſolam enim culpæ cauſam aſſignant, dum oritur ſcandalum, quo ceſſante a culpa liberant ea authoritate propria ſolventem, & tenent *Manuel. 1. to. ſum. 2. edit. cap. 145. n. 1.*

Hinc infertur, ſi cauſa diſſolvendi ſponſalia publica ſit, ac cer- 4
ta, tam de jure, quam de facto; de jure, quia eſt in jure expreſſa, & de facto, quia eſt certum talem cauſam adeſſe, tunc licet ſponſalia ſint publica, poſſe propria authoritate diſſolvi: quia tunc ſcandalum ceſſat, cum diſſolutionis cauſa publica ſit. Sic tenent *Arg. verb. Sponſ. n. 42.* ubi *Sylv. q. 11. Tab. qu. 9. n. 10. fine Nav.*

ſum. c. 22. Hiſp. n. 27. lat. n. 28. Greg. Lop. l. 8. verb. Mas en todas, t. 1. p. 4. & ex Theologis *Palud. 4. d. 27. q. 1. a. 3. fin. n. 36. Manuel. proxime citatus. Petr. de Ledeſm. de matr. q. 43. a. 3. dub. ult. Bart. a Ledeſm. dub. 13. de matr. fine Philiarc. de ofic. ſacerd. t. 1. p. 2. l. 2. c. 1. Vega l. 6. ſum. caſu 105.* Temperant *Petr. de Led. & Bart. a Led* niſi oriatur ſcandalum: ſed non eſt neceſſarium hoc ter peramentum, eſſet enim omnino paſſivum id ſcandalum.

5 2. Infertur, ſi cauſa diſſolutionis certa ſit, de jure, & de facto, licet occulta, & ſponſalia ſint etiam occulta, poſſe propria authoritate diſſolvi: quia ceſſat ſimiliter ſcandalum, ſic fatentur *Ricard. D. Ant. & Vguer. citati num. 2. Palud. n. 37. Angel Silveſt. Tabiena, Navar. Petr. a Ledeſm. Barth. a Ledeſm. Vorga allegati, n. præced. Turrer. c. Ubi non eſt, 30. q. 2. nu 6. Veracruz 1. p. Speculi, a. 12. ad fin. Enriquez l. 11. de matr. c. 14. n. 1. Lud. Lop. 2. p. inſte. de matr. c. 38. ad finem.*

6 II. Concl. dum cauſa certa eſt de jure, & de facto, occulta tamen, & ſponſalia publica, judicis authoritas deſiderat ad ea diſſolvenda: non tamen eſſet culpa lethalis, ſed ſolum venialis propria authoritate diſſolvere, niſi inde grave ſcandalum oriatur. Quia nullibi jure cavetur eam authoritatem neceſſariam eſſe, & diſſolvens jure ſuo utitur. Sic *Ang. Silveſt. Nav. Enriquez, Philiarchus, Vega relati n. 4. & Tabiena, verb. Sponſalia, q. 8. n. 10. fine* ait, forte non eſſe mortale.

7 Imo ſi cauſa ita occulta ſit, ut probari nequeat coram judice, vacabit culpa ſponſalia, publica propria authoritate diſſolvere, quia petita licentia denegabitur probationis defectu, & ex alia parte recuperat innocens rem ſibi debitam, quam juxta omnes fas eſt propria authoritate capere quando in judicio recuperari nequit. Sic *Palud. num. 38. & Enriquez allegati nu. 4.*

8 III. Concluſio, dum cauſa diſſolutionis eſt dubia, de jure, quia non eſt certum eſſe ſufficientem, vel de facto, quia alter non eſt certus eam adeſſe, eſt peccatum lethale propria authoritate ſolvere ſponſalia quia eſt probabile injuſtitiæ periculum, dum ſpoliatur alter in dubio, jure, ſibi acquiſito, ut impleatur fides data. Sic *Petr de Ledeſ. & Lud. Lop. citati num. 5.* & colligitur ex alis allegatis nu. 5. & 6.

9 Ne tamen intelligas exigi, ut undequaque certa ſit ſufficientia cauſæ, itaut nulla ſit opinio contraria: vix enim caſus contingeret: ſed requiritur certitudo moralis, ideſt, ut cauſa juxta probabilem opinionem ſit ſufficiens: quia in moralibus ad operandum hæc dicitur certitudo, cum ſatis ſit, ut quis tuto operetur, opinionem probabilem amplecti, & ita colligo ex *Lud. Lop. d. c. 38. ad fin.* ubi caute dixit eſſe peccatum mortale, quando cauſa eſt dubia, diſſolvere ſponſalia, niſi authoritate judicis, vel viri docti aſſerentis eſſe ſufficientem: quæ ſolam opinionem facit. Quæ autem certitudo facti requiratur, dicam diſp. 71. & 72. pro foro externo: & diſp. 73. pro interno.

10 Ultima Concl. judex, cujus authoritate ſponſalia diſſolvenda ſunt, eſt ſolus Eccleſiaſticus, ordinarius, vel delegatus, quia hæc eſt materia ſpiritualis, non autem erit parochus: quia non eſt judex in foro externo. Sic *Palud. 4. d. 27. q. 1. n. 38.*

11 Ad arg. propoſita n. 1. reſpondetur, *c. Duo pueri, & c. Seculares*, loqui de matrimonio de præſenti, a quo alter conjux abſque cauſa receſſerat, ut clare conſtat ex textu. Ad *c. De illis*, dico nolle textum, eſſe neceſſarium Eccleſiæ judicium, ſed tantum jubere ut Eccleſiaſticus judex, ſi coram ipſo impubes adepta pubertate reclamaverit, eum ſeparat.

DISPUTATIO LXX.

Utrum ſi cauſa diſſolutionis ſponſalium occulta, infamiæ gravis nota afficiat, ut ſi ſit occulta ſponſæ repatatæ virginis fornicatio, poſſit in judicio detegi, ut ea diſſolvantur?

SUMMARIUM.

Ratio dubitandi proponitur, num. 1.
Licitum eſt præmiſſa monitione, & quando liceat teſtium vitia occulta detegere, & ſuam occultum, ad vitandum damnum 2.

1 RAtio dubitandi eſt, eo quod de jure naturæ ſit proximi famam illæſam conſervari, cum vitium occultum eſt.

2 Sed breviter dicendum eſt, non ſtatim cauſam ad judicem deferendam eſſe, ſed prius monendam eſſe ſponſam, ut deſiſtat, ut vel ſic infamiam evitet: ſin autem velit, adeundos eſſe parentes, vel viros pios, vel prælatum, ut patrem, vel ipſam moneant: quod ſi adhuc perſiſtat, fas eſſe ad tribunal judicis deferre. Sicut ſimiliter dicunt DD. habentem impedimentum occultum ad ordines, vel matr. prius eſſe monendum, aliaque media occulta adhibenda, & ſi nihil profit, denunciandum eſſe. Prob. quia hic utitur jure ſuo ad ſe tuendum, cum alio pacto defendere ſe minime poſſit. Item, quia licitum eſt detegere vitia teſtium occulta, quando id eſt medium neceſſarium ad juſtam defenſionem: ut optime *Sotus l. de juſt. q. 7. a. 3.* & omnes alii docent. Tandem quia licitum eſt denunciare judici furem occultum ad vitandum proximi damnum, ſecreta monitione non profitente, ut bene docent *Tabien. verb. Inquiſitio num. 6.* ubi *Arm. n. 8. Sot. de ſecreto, memb. 2. q. 6. paulo ante ſolut. ad 3. Corduba ſum. q. 111. Navar. l. 3. de reſtit. c. 1. in 2. edit. n. 357. & ſeq.* ergo a fortiori id licebit ad vitandum damnum proprium, ne cogatur ſponſus implere ſponſalia, quibus non aſtringitur.

DISPUTATIO LXXI.

Qualis probatio plena, ac ſufficiens ſit, impedimenti matrimonii, ut Eccleſia illud celebrari impediat, ſponſaliaque diſſolvat?

SUMMARIUM.

An ſufficiat unus teſtis, num. 1.
Quid, ſi non ſit citatus, ſed per partem producentem oblatus, vel ſe ingerat, 2.
Quid, ſi nolit publice, & in partis præſentia teſtificari, ſed ſecreto, & abſque ſui nominis publicatione. Et quid ſi velit publice, caſu, quo ſuam turpitudinem aperiat, 3.
Quid, ſi teſtis ſit denuntiator, vel accuſator, vel turpitudinem propriam detegat, 4.
Et quid ſi teſtis criminoſus, 5.
An accipiendum ſit contrahentium juramentum, in probationis ſupplementum, 6.
An quando allegatur cauſa diſſolutionis, culpam non continens, ſi matrimonium contrahatur, ſufficiat unus teſtis ad impediendum, 7.
Quid, quando ſponſalia ſunt juramento firmata, an ſatis ſit unus teſtis, & qua circumſpectione debeat talis teſtis deponere, 8.
Quid, quando teſtis non deponit, ſed ſolum denuntiat, 9.
An oporteat, ut teſtis ille juret, 10.
An exigatur, ut teſtis certo ſciat, vel ſufficiat auditus, licet alter certo ſciens teſtetur abſque juramento, & quid ſi impedimentum ſit conſanguinitatis, & qualiter conſanguinei ad hanc probationem admittantur: & explicatur c. Licet ex quadam de teſtibus, 11.
Quid, ſi teſtis ſit vilis, & quid in teſte conſiderandum ſit, & quid, quando factum eſt ita occultum, ut alias probari nequeat, 12.
An ſatis ſit fama impedimenti, 13.
Quid ſi ſponſalia ſint jurata, & explicatur c. Cum tua, de ſponſalibus, 14.
Quid ſi forma conſtet judici privato, & an poſſit tunc abſque ordine judiciario inquirere, n. 15. & quid ſi in contrarium ſint clariores probationes, 16.
An contra famam admittatur probatio conſanguineorum, vel juramentum volentium contrahere matrimonium, n. 17. & quid de rumore, & quo diſtet a fama, 18.

IN hac diſp. tractandum eſt, qualiter in foro externo ſufficiant unus teſtis dictum, & fama ad diſſolvenda ſponſalia, impediendumque matrimonium: & priores concluſiones de teſte erunt: poſteriores vero de fama. 1

I. Concluſio, impedimentum, ne matrimonium contrahatur, plene probatur unico teſte. Habetur expreſſe *c. Super eo, el 2. de teſtibus, & atteſtat. & c. Præterea, el 2. de ſponſ.* & hujus rationem reddunt omnes Doctores, quia hic agitur de vitando peccato, ne impediti contra Eccleſiæ prohibitionem contrahendo peccent, idem definitur, *l. 18. t. 9. p. 4.* & nullus in hac concluſione diſcrepat. 2

Idem dicendum eſt, licet teſtis non fuerit citatus, ſed per partem producentem judici oblatus: non enim præſumitur ex hoc ſe ingerere: argumento *c. Conſtitutus, de teſtib.* ſecus ubi ſe ipſum ingereret, tunc enim ſicut ſuſpectus eſſet repellendus, argumento *l. Uxori, §. 1. ff. de fal.* ſic *Abb. c. Cum in tua, n. 2. de ſponſ.* ubi *Alex. de Nevo, n. 4. Præpoſ. nu. 1. Bart. l. Poſt legatum, §. His vero, n. 1. ff. de his quibus ut indig. Maſcard.* cum aliis, quos refert, *de probat. concl. 1035. n. 3.* 3

2. Idem dicendum eſt, quamvis teſtis nolit parte citata, publice, ut teſtimonium ferri debet, juxta *c. 2. de teſt.* ſed clam, & abſque nominis publicatione teſtari. Si habetur *c. Præterea, el 2. de ſponſ.* & docent *Inn. ibi, n. un. Ant. n. 6. Abb. n. 7. Alex. de Nevo, n. 4. Præp. n. 4. Maſcard. d. concl. 1035. nu. 4.* Imo *gl. eo. c. præterea, verb. publice, & Joan. Andr. ibi, nu. 5.* aſſerunt teſti publice confitenti in caſu illius textus, non eſſe fidem adhibendam: tum quia turpitudinem ſuam fatetur, tum etiam, quia dictum unius non ſatis probat. Sed merito reprobant *Hoſt. ibi. paulo poſt princ. Ant. n. 7. Abb. n. 7. Alex. de Nevo, n. 7. Præp. n. 7.* tum quia major eſt præſumptio contra clam deponentem, juxta illud D. Bern. ad Eugenium, *Hanc tibi conſituas regulam, ut omnem, qui palam veretur dicere, quod in auribus locutus eſt, ſuſpectum habeas*, tum etiam, quia ubi agitur de peccato vitando, unus teſtis probat, ut dixi n. 1. 4

3. Idem dicendum eſt, etiam ſi teſtis eſſet denunciator, vel accuſator, allegaretque turpitudinem ſuam. Ita colligitur ex *c. Ad audientiam, de ſponſ.* & ex *c. Juravit, de prob.* & ex *c. 1. de conſ.* ubi id tenet *Ant. n. 3. Abb. n. 6. Alex. de Nevo n. 6.* qui idem etiam docet, *d. c. Præt. n. 4.* ubi *Præp. n. 8. Maſc. d. concl. 1035. n. 5.* 5

4. Idem dicendum eſt, licet teſtis ſit criminoſus: ut conſtat ex *c. Præterea, el 2. de ſponſ.* ubi teſtis turpitudinem ſuam allegat. Sic *Cardin. nu. 1.*

Aliqui cenſent in his caſibus accipiendum eſſe juramentum a contrahentibus, in probationis ſupplementum. Sic *Tancred. & Philip.* quod refert, & merito improbat *Alex. de Nevo, c. Super eo, de conſang. n. 9.* quia cum unicus teſtis plene probet, ut dixi nu. 1. nullo ſupplemento indiget. 6

Imo non tantum ſatis eſt unus teſtis, vel fama ad impediendum, ne ſponſalia compleantur, & plene probandum, quando imponitur impedimentum impediens matrimonium, ſed etiam quando allegatur alia cauſa, qua exiſtente nullum eſſet peccatum contrahere, ut ſi ad diſſolvendum ſponſalia alleget ſponſus fornicationem ſponſæ. Sic *Pal. 4. d. 27. q. 1. a. 3. caſu 1. n. 17. fine.* & probat ex *c. Super eo. el 2. de teſt. & atteſt.* Sed omnino tenendum eſt oppoſitum, quia quando agitur de alterius præjudicio, non ſatis eſt unius teſtimonium, *c. Licet ex quadam, c. Veniens, c. In omni negotio, de teſt. & l. Ut juriſjurand., C. de teſt.* Sed hic agitur de præjudicio juris alteri acquiſiti, ne ſibi fides præſtita impleatur: & ab hac regula generali ſolum excipitur, quando opponitur impedimentum matrimonii, ratione peccati vitandi, ut dixi n. 1. ergo extendi non debet ad caſum, ubi non agitur de peccato vitando, ſed de ſolo tertii præjudicio. Quare *Panor. c. Præterea, el 2. de ſponſal.* dicit caſum illius textus eſſe valde ſpecialem, ratione peccati vitandi. Nec *d. c. Super eo.* oppoſitum probat, quia expreſſe loquitur, dum allegatur conſanguinitas matrim. dirimen. Item, quia in hoc caſu agitur de alterius peccato probando, ſcilicet fornicatione, quod non niſi duplici teſte probatur: ut dicunt optime aliqui DD. explicantes *c. Duo pueri, de ſponſ. impub.* ubi textus dicit credi viro aſſerenti copulam, & dicunt id eſſe matrimonii favore, quod copula firmabatur: ſecus fore, ſi non ad matrimonii valorem, ſed ad probandum delictum ageretur: ibi ſunt, *Joan. Andr. d. cap. Duo pueri, fine*, ubi *Hoſt. ſuper verb. Non cognoviſſe, Ant. n. 14. Abb. n. 6. Alex. de Nevo, n. 12.* Tandem, quia ſpeciale eſt, dum allegatur fornicatio, tanquam matrimonii impedimentum, ut concubitus cum conſanguinea futuræ uxoris probetur unico teſte, vel fama, eo quod agitur de peccato vitando, ut bene *gl. c. Præterea, de teſt. & atteſt. verb. De auditu, & ibi Bald. n. 8. Campegius tr. de teſtibus, rig. 385. verſ. Tertio probatur. Maſc. de probat. concl. 62. n. 7. & concl. 63. n. 1.* ergo non debet extendi ad caſum, in quo non agitur de matrimonio impediendo, & vitando crimine. 7

Utrum autem concl. poſita locum habeat, ubi ſponſalia juramento firmata eſſent? non conſtat inter DD. quidam enim cenſent non ſatis eſſe unius teſtimonium, ad impediendum matrimonium: id enim clare videtur decidi *c. Præterea, el 2. de ſponſal.* & ratio eſt, ob juramenti religionem, Eccleſia enim certa eſt de perjurio, iis non impletis: incerta autem de impedimento, & ita tutius eligit. Sic docent *gl. c. Super eo, de conſang. verb. Fama, & c. Præterea, verb. Niſi*, ubi *Ant. n. 8. Abbas fin. Card. fine, Henric. n. 3. & 4. idem Ant. d. c. Super eo, nu. 6. Greg. Lop. l. 18. t. 9. p. 4. verb. Per jur. Jac. Leonijſa inter conſilia matrim. Zoleti, conſ. 49. n. 21.* & ex Theologis *Palud. 4. d. 27. q. 1. a. 3. caſu 9. n. 27.* & explicant *Greg. Lop. & Palud.* quamvis teſtis ſit omnino integer. Sed verius eſt ſufficere teſtem omnino integrum, quia non minus, quam fama probat, quæ ſufficit ad diſſolvendum ſponſalia jurata, ut dicemus n. 14. Nec obſtat *d. c. Præterea* quia ille teſtis non erat omnino integer, quia nomine non publicato deponebat, allegabat turpitudinem ſuam. Sic *Abb. cap. Super eo, de conſang. n. 7. & c. Super eo, de eo, qui cogno. conſang. n. 5. Cov. 4. decr. 2. p. c. 6. §. 19. n. 22. Maſchard. de prob. concl. 1035. n. 10.* Et ex Theologis, *Veracr. 3. p. Speculi, art. 8.* addunt *Covar. & Maſchard.* debere teſtem eſſe omnino integrum, & circumſpectiſſime teſtimonium laturum: qua vero circumſpectione, & qua integritate teſtis hic deponere debeat, relinquitur arbitrio judicis: ut ait *Cov.* ejuſdem ſententiæ ſunt *Hoſt. eo. c. Præterea, ſuper verb. niſi juramentum, & ibi Calderinus, & Anch. n. 4. Propoſ. n. 9. & c. Super eo, de conſanguin.* ubi *Alex. de Nevo, num. 9.* ubi dicunt impedire ſponſalia jurata teſtem integrum & bonæ famæ, ſi judex attentis circumſtantiis ſibi perſuadeat verum deponere. 8

II. Concluſio. Aliquæ qualitates concurrere debent, ut unicus teſtis ſponſalia perfici impediat. I. eſt, ut teſtis deponat: ſi enim ſolum denunciaret, non impediret matrimonium, niſi probaret de fama. Sic *Petrus*, quem refert, & ſequitur *Alex. de Nevo, c. Cum in tua, de ſponſ. n. 9.* & 14. per illum textum, quia ultra unicum teſtem, famam petit. 9

II. Qualitas eſt, ut teſtis juret: parum enim creditur non juranti, *c. Tua de cohabit. cleric.* ſic contra *Cardinalem, c. Præterea el 2. de ſponſal. n. 1.* docent *Hoſtien. ibi initio, Joan. Andr. n. 22. Abb. c. 1. de conſang. nu. 4.* ubi *Alex. de Nevo, n. 3. Præpoſ. n. 6. Cov. 4. dec. 2. p. c. 6. §. 10. n. 21. Gutier. q. canon. l. 1. c. 11. n. 31. 32.* Et ex Theologis, *Palud. 4. d. 27. q. 1. art. 3. caſ. 9. n. 27. Lud. Lop. 2. p. inſtr. de Euchariſtia, c. 78. f. 246.* 10

III. Eſt, ut is teſtis aſſerat cum juramento le certo ſcire impedimentum: alias de ſolo auditu teſtificans, non impediret, quamvis alter teſtis ſimul cum eo, abſque juramento, de certa ſcientia deponeret: unde majorem fidem facit fama, vel unicus teſtis jurans, quam duo teſtes, quorum unus cum juramento deponit de auditu, alter vero abſque juramento, de certa ſcientia: cum hi duo non impediant matrimonium, quod tamen unicus teſtis, vel fama impedit, cum teſtis ille jurat de certa ſcientia. Sic *Abb. d. c. 1. de conſanguin. n. 2. & 3.* ubi *Alex. de Nevo, n. 2. Præp. n. 6. Covar. Maſchard. Gutier. eo. n. 32. allegati n. præced.* & exigi, ut teſtis hic de certa ſcientia deponat, docet etiam *Navar. l. 4. conſ. in 2. edit. t. de conſang. conſ. 2. nu. 1.* Excipiendum tamen eſt ab hac regula, ut non ſufficiat teſtis de auditu deponens, niſi ad probandam conſanguinitatem: tunc enim ſatis eſt de auditu teſtari, ſi teſtificetur juxta formam *c. Licet ex quadam, de teſtib.* ſic *Card. t. 2. de conſang. nu. 2.* ubi *Anch. n. 2. Præp. nu. 1. idem Præp. c. Tua noſ, eod. t. n. 5.* ubi *Ant. n. 7. Alex. de Nevo n. 7. Cov. 4. decr. 2. p. c. 6. §. 10. n. 21. Maſcar. de probat. concl. 1035. n. 10. & concl. 410. n. 1. Gut. q. can. l. 1. c. 11. n. 34.* an idem eſt *Nav. d. conſ. 2. proxime citato*, ubi ait quemdam teſtem, ut matr. impediret, depoſuiſſe audiviſſe a quodam ſuo majori contrahentes eſſe conſanguineos: & ait non impedire, quia eſt teſtis de auditu, qui conſanguinitatem non probat, niſi a pluribus majoribus audiviſſet, juxta *d. c. Licet ex quodam*, idem *Maſcard. ea concl. 410. n. 3.* ubi ait requiri teſtes eſſe perſonas graves, & deponere a majoribus audiviſſe: & *n. 4.* ait requiri, ut audierint, ante litem motam, nam ſi poſt litem motam, nullam fidem facerent: facile enim id contingere poteſt, niſi (ut inquit *n. 5. cum aliis*) eſſet auditus poſt litem motam, in loco diſtantiſſimo, & *n. 7.* ampliat, ut habeat locum etiam quoad matrimonium impediendum. Maxime tamen advertendum eſt 12. illa requiſita *d. c. Ex quadam*, ad probandum conſanguinitatem ex ſolo auditu, tantum deſiderari, dum agitur de matrimonio contracto dirimendo: nam dum ſolum tractatur de eo impediendo, ſatis eſt unicus teſtis de auditu impedimenti conſanguinitatis, qui a majoribus audierit, dummodo is diſtinguat gradus clara computatione ab utroque latere: ut probat *d. c. Licet. ibi, ſingulos gradus. Sic Gut. eo. c. 11. n. 34.* & dicit ita praxi ſervari: & idem videtur tenere *Maſc. d. concl. 410. n. 9.* & 10. ubi ait quoad alios effectus, præterquam ad matrimonium dirimendum, ſatis eſſe, ſi teſtes de auditu conſanguinitatis deponentes, ſint fide digni, dummodo probent diſtincte gradus: ut ait *idem Maſc. n. 21.* & ratio eſt, quia cum conſanguinitas ſub corporeum ſenſum minine cadat, neceſſaria eſt efficax ratio teſtimonii, ut teſtes probent. Sunt autem magis idonei teſtes ad probandam, vel negandam conſanguinitatem, ipſi contrahentium conſanguinei: quia nulli ita conſtat de parentela, niſi ipſorum interſit, commodumque reportent: tunc enim tanquam in cauſa propria teſtificantes, admittendi non ſunt: ut omnia hæc probat *Maſc. d. concl. 410. n. 33 & multis ſeq.* Poteſt etiam conſanguinitas probari per conjecturas, indicia, præſumptiones, cum ut difficiliis probationis: ut probat *idem Maſcard. concl. 409. n. 2. & 3.* 11

Ultima teſtis qualitas eſt, ne ſit vilis perſona, talis enim, ſponſalia etiam non jurata, perfici minime impediret, ita *Panor. c. Præterea, el 2. de ſponſalibus fine. & c. Cum tua, eod. t. n. 7.* ubi contra *Goſfred. ſum. t. de accuſat. fine*, concludit ad impediendum etiam peccatum futurum, non admitti vilem perſonam ad denunciandum, niſi factum ita clandeſtinum ſit, ut probari niſi per vilem perſonam nequeat. Nam ubi deeſt facultas probandi, admittitur probatio alias non integra: ut eſt bonus textus, cum *gloſſ. c. Cum dilecti, de electio, & c. Præterea, de teſtibus*, & dicit communem *Ant. Gab. t. 2. com. l. 28. in mea edit. verb. Teſtis, f. 418.* Hinc infertur judicem conſiderare debere qualitatem perſonæ teſtificantis, & an ſibi diſpliceat matrimonium, necne, & alias circumſtantias: ut bene docent *Hoſt. & Cald. c. Præterea el 3. de ſponſ. & ibi Joan. And. n. 4. Ant. n. 8. Anch. n. 4. Greg. Lop. l. 18. verb. De unt. t. 9. p. 4.* Et ratio eſt, nam quæ ſint veræ probationes, & quando teſtibus fides adhibenda ſit, multum in judicis arbitrio verſatur: ut late tradit *Menoch. de arb. l. 2. cent. 1. caſu 90.* 12

III. Concl. fama impedimenti plene probat illud, ad eſſectum impediendi, ne matrimonium contrahatur, habetur expreſſe *c. Super eod. de conſang. & l. 18. t. 9. p. 4.* & docent omnes. 13

Et hæc concluſio eſt vera, quamvis ſponſalia juramento confirmata ſint, quia *c. Super eo, de conſang.* dicitur famam impedire matrimonium contrahendum fide data; ubi *gloſſ. verb. Fide* explicat, id eſt, juramento, & ita docet *ibi gl. verb. Fama, Ant. n. 6. Card. fin. Abb. n. 5. idem Anch. c. Præterea, el 2. de ſponſal. fin.* ubi *Henr. nu. 3. Alex. de Nevo, nu. 17. Præpoſ.* dicens commun. *n. 9. Covar. 4. decr. 2. p. c. 6. §. 10. n. 21. Maſcard. de probat. concl. 1035. nu. 12. Veracruz 39. ſpec. art. 8.* Quare non eſt audiendus *Palud. 4. d. 27. q. 1. a. 3. caſu 9. n. 27.* ubi tenet oppoſitum, per *c. Cum in tua, de ſponſ.* ubi ultra perſonam fide dignam requiritur fama, eo quod ponſalia jurata erant. Sed hic textus minime probat: id enim provenit, quia teſtis non deponebat, ſed tantum denunciavit, ut advertit *ibi Alex. de Nevo, num. 9.* 14

Et tamen fama non debet eſſe privata, id eſt, ſi conſtet judici ut privato, nam facta probatione in judicio, non ſatis eſt ad impediendum matrimonium: ut bene *Ant. c. Cum in tua de ſponſ. n. 7.* ubi *Abb. n. 6. Alex. de Nevo, n. 16 Præpoſ. n. 6.* dat tamen judici ea fama privata facultatem, ad inquirendum, & recipiendum probationem, de illa, ut bene *Abb. & Alex. de Nevo ibid.* & ſic explicant *gloſſ. eod. c. Cum in tua, verb. Licet*, obſcure loquentem: ſecus inquirit, quando aliquid conſtat judici ut notorium, quamvis enim id non probatur, poteſt judex juxta illud judicare: ut videtur textus juncta *gloſſ. l. 1. C. Quæ & adverſus quos.* Poteſt etiam, judex ea fama privata ductus, per ſe ipſum de plano, & ſine aliquo ordine judiciario diligenter de impedimento inquirere: Sic *Innoc. d. c. Cum in tua n. unic.* ubi *Ant. n. 4. Card. n. 2. Anch. n. 3. Abb. n. 5. Alex. de Nevo, n. 7. Præp. n. 7. & multi alii*, quos refert, & ſequitur *Maſcard. de prob. concl. 1035. n. 13.* unde *Card. & Præp.* aiunt non eſſe opus, partem citare, nec facere, ut teſtes jurent. 15

IV. Concl. Non ſatis eſſet fama ad impediendum matrim. adhibi- 16

adhibitis de contraria fama clarioribus probationibus. Sic *gl. per illum textum c. Cum in tua de spons. ver. Famam, & ibi Ant. fin. Anch. n. 4. Abb. n. 3. Alex. de Nevo, n. 22. Præpos. n. 4. Par. cons. 63. n. 24. vol. & cons. 23. n. 242. vol. 1. Nav. c. Sacerdos, de pœn. d. 6. n. 27. Masc. de concl. 1035. n. 14.*

17 Ad deponendum autem contra hanc famam admittitur etiam consanguineorum juramentum, per *c. Cum in tua de spons.* ibi, *vel contra famam hujusmodi juramenta exhibeas propinquorum*. Sic *Abb. ibi, fine, & Alex. de Nevo, n. 13.* Imo hæc fama eliditur, ejusque probatio arbitrio judicis, si contra illam contrahere volentes jurent se non esse consanguineos: tunc enim judicis arbitrio relinquitur juxta personarum qualitatem admittere hoc juramentum contra famam. Sic *Præp. d. c. Cum in tua, n. 4. Menoch. de arbitr. l. 2. cent. 3. casu 243. n. 4. & casu 454. n. 1. & 2. Masc. d. concl. 1035. n. 16.* idem de parentum juramento asserunt *Præp. & Menoch. ibidem.*

18 Tandem rumorem sufficere ad impediendum matrimonium, asserunt *Ant. c. Super eo, de eo qui cog. n. consang. n. 7. & ibi Præp. n. 4.* Differunt autem fama, & rumor: nam illa est, quando major pars vicinæ acclamat; hic vero, quando aliqua pars, ut tertia, vel quarta, ut bene *Host. c. Super eo, in princ. Jo. And. n. 2. Card. n. 1. Ant. n. 4. Abb. nu. 3. Alex. de Nevo, num. 3. Præp. n. 2. Ang. verb. Fama, nu. 4.* ubi *Silv. num. 4. Tabiena in princ. Armill. n. 1.* Unde minus bene *Anch. d. cap. Super eo, n. 2.* dicit rumorem esse, quando major pars; famam vero, quando tota vicinia clamat. Verius tamen est, rumorem non sufficere: tum, quia minus probat quam fama, ut constat ex *d. c. Super eo*: tum etiam, quia nullibi reperitur rumorem impedire matrim. contrahi: unde servanda est generalis regula, ut omnes possint contrahere, qui non reperiuntur impediti, *c. Cum apud, de spons.* sic *glos. d. c. Super eo fine, & ibi Card. fine, Alex. de Nevo num. 8.*

DISPUTATIO LXXII.

Utrum confessio utriusque, vel alterius sponsi, quod impedimentum subsit, sufficienter illud probet, sponsaliaque dissolvat?

SUMMARIUM.

Opinio, dicens sufficere confessionem sponsi, refutatur, n. 1. & explicatur c. Præterea, el 2. de sponsal.
Sufficit utriusque ad testimonium, licet jurata sint. 2.
Sufficit testimonium optantis celebrari matrimonium, nu. 3. non autem recusantis. 4.

1 INnocentius *c. Super eo, de consang. nu. unic.* ait testimonium sponsi sufficere, si sponsalia jurata non sint: per *c. Præterea, el 2. de spons.* sed hoc ita universaliter dictum bene reprobat *Alex. de Nevo, d. c. Super eo, n. 7.* Nec *cap. Præterea*, aliquid probat: quia ibi non sponsus, sed sponsi consanguineus impedimentum affirmabat.

2 Sit igitur I. Conclusio, si uterque sponsus fateatur impedimentum, satis est ad dissolvenda sponsalia, quamvis juramento firmata sint. Quia mutuo consensu possunt libere dissolvi: ut dixi supra disp. 52. per totam, dum uterque autem fatetur impedimentum, satis explicat mutuam resiliendi voluntatem. Sic *Anch. d. c. Super eo, n. 4.* ubi *Abb. nu. 5. Menoch. de arbit. l. 2. cent. 2. casu 103. n. 2. Mascard. de probat. concl. 1035. n. 17. 18.* Et ex Theologis, *Veracr. 3. p. speculi, art. 8.*

3 II. Conclusio, si alter tantum fateatur impedimentum, & sit ille, qui matrim. celebrari optat, satis est: argumento *c. Attestationes*, & quod notat *ibi Host. de desp. impub.* & ratio est, quia hic casus non differt a primo, quia alter volens non subsequi matrim. jam ex parte sua dissentit: hic vero eo ipso, quod impedimentum fatetur, recusat matrim. celebrari: quare mutuus consensus ad sponsalia dissolvenda concurrit: sic *Anc. d. c. Super eo. n. 8. Abb. nu. 5. Mascard. d. n. 18. Menoch. d. casu 103. n. 3. Veracruz d. art. 8.*

Ultima Conclusio, si vero fatens impedimentum, sit ille, qui matrim. recusabat, non statur ejus confessioni: quia est in suum favorem, & in præjudicium juris tertii acquisiti: confessioni autem hujusmodi non adhibetur fides 14. *q. 2. in princ.* sic *Ant. d. c. Super eo. n. 8. & ibi Alex. de Nevo, nu. 13. Abb. n. 5. Masc. d. n. 18. Menoch. d. n. 3.* 4

DISPUTATIO LXXIII.

Qualis certitudo causæ sufficientis ad dissolvenda sponsalia desideretur pro foro conscientiæ, ut licite dissolvi valeant.

SUMMARIUM.

Satis est cognitio sufficiens in foro externo, num. 1.
Quid si unus testis affirmat, licet sit consanguineus, vel sit fama. 2.
Quid si ex aliorum relatione cognoscatur; & explicatur cap. Veniens, qui cler. vel voven. 3.

1 HActenus egimus de cognitione sufficienti pro foro externo; in hac autem disp. agendum est de ea, quæ pro foro conscientiæ sufficit, ut licite alter a sponsalibus resiliat: & dicendum quidem est, eam sufficere, quæ in foro externo satis esset, ut in alio simili, nempe ad faciendum divortium propria auctoritate, docet *Sotus 4. d. 36. q. unica, a. 4. vers. Circa singula, Petr. de Ledesm. de matr. q. 62. art. 3. circa secundam conclus. notab. 1.*

2 Hinc infertur satis esse unum testem de certa scientia sibi jurantem, vel famam, quia (ut dixi tota disp. 71.) hæc sufficiunt pro foro externo. Et pro hac parte faciunt aliqui DD. dicentes consanguineum videntem suum consanguineum velle eam ducere, quam ipse carnaliter cognoverat, teneri impedimentum detegere: alterumque teneri credere: & probant ex *c. Si homo, 35. q. 3.* ubi expresse dicitur teneri revelare consanguineo: quod idem docet *gl. c. Præterea, el 2. de spons. verb. Publice*: ergo alter tenetur credere, frustra enim esset revelatio, si alter credere non teneretur. Hi sunt *Archid. d. c. Si homo, & ibi Turrecr. Laur. & Goffred.* quos contra Vincentium, & Tancredum refert, & sequitur *Henr. d. c. Præterea. n. 2.* addit bene *Archid.* dummodo juret, & conjecturæ sint, eum non mentiri: quod etiam diximus disp. 71. num. 11. fine. Imo si esset persona fide digna testificans, & de certa scientia testaretur, nec suspicio aliqua mendacii subesset, credo in foro conscientiæ non esse necessarium juramentum: quamvis disp. 71. num. 7. reprobaverim *Peludanum* sentientem unico teste probari quamcumque causam dissolvendi sponsalia, licet matrim. absque peccato perfici posset: ut sponsæ fornicationem: pro foro tamen conscientiæ placet ea opinio, dummodo testis ille qualitatibus dictis affectus sit.

3 Hinc infertur, satis esse, si relatione aliorum, vel propria experientia cognoscat quis, sponsam non fuisse virginem tempore sponsalium. Sic *P. Mol. tom. 2. de just. tr. 2. disp. 272. f. 120. §. Deinde si mulieri*. Nec obstat *c. Veniens, qui cler. vel vov.* ubi non excusat textus sponsam, quæ multa audierat de viri severitate: quia (ut ait *ibi Alex. de Nevo n. 2.*) auditus ille non fuit sufficiens ad certam notionem, quia forte fuit vanus rumor vulgi.

LIBER SECUNDUS.

De Essentia, & Consensu MATRIMONII.

Divisio totius libri.

HUcusque de sponsalibus, quæ prævia sunt, & dispositio ad matrimonium, egimus; jam matrimonii tractatum aggredientes, prius in hoc secundo libro agemus de matrimonii essentia, & qualiter sacramentum sit; & cum in ejus definitione collocetur, esse vinculum indissolubile, agemus de ejus indissolubilitate, & qualiter Pontificia dispensatione, aut religionis ingressu solvi possit. Deinceps in genere, de qualitate consensus ad matrimonium requisiti, & de objecto, & fine ipsius consensus, ut sequentibus libris disputemus de consensu in particulari.

DISPUTATIO I.

Quid sit matrimonium, & in quo ejus essentia consistat?

SUMMARIUM.

Matrimonium unde dicatur, & quid sit, num. 1.
Quot reperiantur in matrimonio, 2.
Consummatio non est de ejus essentia, 3.
Nec consensus internus, nec externus contractus, sunt id, in quo essentia matrimonii consistit, num. 4. nec etiam mutua corporis traditio, num. 5. nec mutua obligatio ad reddendum debitum, eodem 5.
Matrimonium est vinculum, quo conjuges uniti sunt. 6.
Utrum id vinculum sit relatio realis, 7.
Explicatur matrimonii definitio, 8.
Matrimonium dividitur in legitimum, ratum, & consummatum, & quid sint hæc, 9.

1 SUpponendum 1. est, matrimonium unde dicatur, & quot nominibus appellari soleat; de quo satis dixi l. 1. in proœmio, *n. 4.* Definitur autem sic. Est conjunctio maritalis viri, & feminæ, inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens. Hæc definitio traditur *c. Illud, in fine de præsumpt. & 27. qu. 2. in summ. & l. 1. ff. de viu nupt. & §. 1. inst. de patr. potest. & l. 1. tit. 2. part. 4.*

2 2. Supponendum est, in matrimonio 7. inveniri, 1. invenitur mutuus consensus. 2. externus contractus. 3. mutua corporum traditio, quæ est immediatus illius contractus effectus. 4. quoddam vinculum ortum ex illo contractu. 5. quod immediate sequitur ex his, scilicet, mutua obligatio ad reddendum debitum. 6. jus quod est in unoquoque ad alterum. 7. usus, & consummatio matrimonii, & ex his videndum est, in quo consistat matrimonii quidditas.

3 3. Ergo matrimonii consummatio non est de ejus essentia: constat: quia beata Virgo verum contraxit matrimonium, *Matth. 1.* nec cognita est.

4 2. Nec consensus internus, nec externus contractus sunt id, in quo matrimonii essentia consistat, quia sunt causa efficiens matrimonii. Item, quia hi transeunt, matrimonium autem usque ad mortem durat. Sic *S. Tho. 4. d. 27. q. 1. a. 2. quæstiunc. 1. ad 2. Victoria sum. de matrim. n. 246. Ledesma 2. p. 4. q. 46. art. 1. Barth. a Ledesma de matrim. dub. 15. Petrus de Lepesma de matrim. q. 44. art. 3. concl. 1.*

5 3. Nec est quidditas matrim. mutua corporum traditio: quia illa transit, matrimonio permanente: nec mutua obligatio, & subjectio ad reddendum debitum. Hæc enim alterius adulterio, vel ingressu religionis communi consensu cessat, manente matrimonii consummati vinculo. Sic *Barth. a Ledesma d. dub. 15. Petr. de Led. art. 3. concl. 4.*

6 Consistit ergo essentia matrimonii, seu matrimonium ipsum in vinculo illo, quo formaliter sunt conjuges uniti, quod oritur ex mutua traditione. Sic *D. Th. Ledes. Victoria, Barth. a Ledes. Petr. de Ledes. concl. ult. cit. n. 4. Enriquez l. 11. de matr. c. 8. n. 2.* ubi alios refert, & constat, quia mutuo se ponunt, & perimunt. Item, quia matrimonium idem est, quod conjugium.

7 Rogabis tamen, an hæc relatio sit realis? Aliqui dicunt esse relationem rationis, quia oritur ex contrahentium consensu, qui cum sit immanens, nihil in re ipsa ponit: & ita non potest producere relationem realem. Sic Sotus 4. *d. 26. q. un. Pal. ibi, q. 1. a. 2. & q. 4. a. 3. Sotus 4. d. 27. q. 1. a. 1. ad 2.* Sed verius est esse relationem realem. Quia fundatur in actione externa, & reali, scilicet contractu externo, non enim sufficeret consensus internus. Sic alios referens *Enriquez l. 11. de matr. c. 8. n. 2. Petr. de Ledesma de matr. q. 44 art. 3. fol. 128. col. 2.*

8 Ex his venit explicanda matrimonii definitio: dicitur, conjunctio, quia in hac consistit matr. essentia: dicitur, maritalis, id est, orta ex mutua traditione, ut explicetur fundamentum: nam in sponsalibus est vinculum ortum ex promissione: & ad differentiam conjunctionis militum, sub uno duce; dicitur, viri & feminæ, ut explicetur subjectum: inter legitimas personas, hoc est non habentes impedimentum dirimens: dicitur individuam vitæ consuetudinem retinens, id est, perseverantem, ut explicetur finis matrimonii, qui est mutua habitatio, & non esse solubile, sicut alia vincula contractuum, quæ mutuo consensu tolluntur: cujus rationem reddam disput. sequnum. 3.

Tandem matr. dividitur in legitimum, ratum, & consummatum: legitimum dicitur, quod legitimo consensu contrahitur: quale est apud infideles; ratum dicitur, quando est sacramentum, nondum tamen copula carnali consummatum: & sic matrim. infidelium dicitur legitimum, non tamen ratum, quia non est sacramentum, ut expresse habetur *cap. Quanto, d. divort.* & docent omnes, & explicat Conc. Coloniense, quos refert *Cov. 4. decr. 2. p. c. 1. §. un. num. 4.* matrim. vero consummatum est, quando est jam copula carnali perfectum. 9

DISPUTATIO II.

Utrum matrimonium sit homini naturale?

SUMMARIUM.

Proponuntur argumenta probantia partem negativam, num. 1.
Explicatur, qualiter sit homini matrimonium naturale, 2.
Quare sit indissolubile, & fornicatio peccatum mortale, nu. 3. & solvuntur argum. n. 4.

1 VIdetur non esse naturale, quia alias contra naturam esset, & illicitum vovere virginitatem. 2. Quia inclinatio naturæ tantum est ad prolis generationem, & educationem debitam, ad quod satis esset, virum & mulierem simul habitare, quamdiu proles indigeret.

2 Sit concl. matr. non est naturale, quasi ex propria natura proveniens: ut moveri sursum est naturale igni: est tamen naturale, id est, ex inclinatione naturali proveniens. Concl. est *D. Th. 4. d. 26. q. 1. d. 1.* quem omnes sequuntur: & constat 1. pars, quia libero contrahentium arbitrio celebratur. Ut autem explicetur 2. pars, observandum est, duo intendere naturam cujuslibet, nempe se ipsum conservare, & perficere: & quia hoc perpetuo fieri nequit, intendit secundo saltem per individuorum multiplicationem conservari. Hæc duplex naturæ intentio ex duplici appetitu oritur, quorum alter est ad cibum, quo vita conservatur: alter vero ad generationem, per quam natura multiplicatur: alter quo ut facilius fieret, addidit natura delectationem, quæ condimentum operationum est, teste *Philosoph. 10. Ethic. cap. 4.* cum autem sit natura perfecta, non tantum intendit generationem, sed etiam prolem ipsam ad perfectionem usque perducere, & ad perfectum hominis statum, ut homo est: habent enim filii a parentibus esse, nutrimentum, & instructionem *18. Ethic. c. 12.* ad quod necessarium erat matrimonium, ut parentes illa conferant puero: & quia matrim. conducit ad hunc naturæ finem, dicitur homini naturale.

3 Hinc infertur, matr. debere esse indissolubile: Nam si libera esset conjunctio, & vagus concubitus, esset incerta proles, & ex incertitudine tepescereet amor, & educationis cura. Hinc colligit *D. Th. cont. gentes, c. 12.* fornicationem, quæ est vagus concubitus, esse contra naturæ jus, & peccatum lethale: quia contrariatur debitæ propagationi naturæ humanæ. Hinc etiam *Philosophus 2. polit. c. 2.* carpit Platonem, & Socratem, dicentes, uxores debere esse communes, ad majorem hominum unionem.

4 Ad 1. argum. dico, non semper esse illicitum agere contra inclinationem naturalem, nisi cum ratio dictat eam esse sequendam, ut abstinere aliquando a cibo contra naturalem appetitum, licitum est. Ad 2. nego minorem, quia per se, & ex